



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XVIII. Vtrùm minister sacramenti, eo validè perfecto, satisfaciat toti suæ
ea in re obligationi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

habeat nolitionem perficiendi sacramentum, & dandi eius effectum perficiet sacramentum nullum, tamen si habeat intentionem simul contrariam, eò vel maxime, quia malum ex quocunque defectu, ideoque nolitio perficiendi sacramentum præualebit contrariæ volitioni, quoad inducendum malum nullitatis.

Art. 1. Respondetur. Intentiones contrariæ de perficiendo, & non perficiendo sacramento possunt adesse ministro, vel simultaneè pro eo instanti, pro quo, per imperium voluntatis, vltimò determinantur potentia materiales ad actiones exteriores sacramentales; vel successiue, nempe altera pro eo instanti, altera ante idem instans. Siquidem aderunt simultaneè, adeoque ferentur ad obiecta non explicitè, & formaliter, sed implicitè tantum, ac realiter contradictoria; videndum est vtra intentio sit appetitiue maior seu volitio, seu nolitio sui obiecti. Ea namque præualebit, & fortietur euentum sibi conformem, quæ ita maior fuerit. Quia, respectu intentionis appetitiue maioris, habet rationem causæ ignorantia conuertibilitatis; realis inter prædicatum, ad quod fertur talis intentio, & prædicatum, ad quod fertur intentio appetitiue maior; eademque ignorantia est purè comitans respectu intentionis appetitiue maioris. Vnde intentio appetitiue minor est inuoluntaria secundum quid, cum, quæ est appetitiue maior, nullatenus sit inuoluntaria, sed plenè, ac totaliter voluntaria; atque ex conceptu intrinseco vtriusque intentionis verificatur, quod si taliter intendenti adesset cognitio conuertibilitatis, inter vtrumque illud prædicatum, opposita illi ignorantia, sola mäsura esset in ipso intentio appetitiue maior, excludendaque foret per eandem cognitionem intentio appetitiue minor. Quæ sunt certa, ac conspicua, ex dictis in quæst. 10. act. human. Manifestum autem est præualere intentionem perfectè, & adæquatè voluntariam intentioni, in qua voluntarium est admixtum inuoluntario, & illam quæ sola nititur præsentī cognitione, illi, quæ nititur cognitione vt coniuncta cum ignorantia, & illam demum, quæ accedente cognitione impossibilitatis inter vtramque, sola permansura esset in voluntate ex sua natura, & conditione intrinseca, illi, quæ ex sua itidem natura euanesceret vi cuiusmodi cognitionis.

Artic. 2. Quapropter casu, quo quis exequeretur actiones exteriores requisitas ad sacramentum baptismi intendens operari iuxta Christi voluntatem, ac intentionem; simulque nolens subiicere baptismum Pontificiæ potestati, quia existimat hæc duo esse inuicem separabilia, minimeque inter se conuertibilia, sacramentum valeret, si adhesio animi erga Christi voluntatem, ac intentionem esset maior absolute, quam auersio aduersus Pontificiam potestatem. Si autem accideret conuerso sacramentum esset nullum. Idem dicitur de aliis eiusmodi, quia pluribus. Semper enim intentio appetitiue minor, est virtualiter conditionata, & moraliter nulla comparatione intentionis appetitiue maioris. Quod si contingat vtramque intentionem esse æqualem appetitiue, sacramentum erit nullum perinde atque si nulla adfuisset intentio circa prædicata propria sacramenti. Quia neutra alteri præualere poterit, vt inducat effectum aliquem moralem.

Art. 3. Si verò altera intentio fuerit prior tempore, & altera posterior. Semper præualebit, quæ est tempore posterior. Non præcisè, quia posterior retractat priorem, ac aufert permanentiam eius habitalem. Hoc enim deficere potest in intentionibus, quæ non opponuntur ex parte obiecti formaliter, & explicitè; sed realiter tantum, & implicitè: Verum quia actiones exteriores recipiunt valo-

rem, & inualiditatem moralem ex eo actu interiori, vi cuius existunt, seu qui est ipsorum causa, non verò ab eo, qui de facto se habeat per accidens, respectu existentia ipsarum. Paret autem intentionem posteriorem causare de facto actiones exteriores, mouendo vi sua potentias materiales, non verò priorem tamen habitualiter perseveret, dummodò purè habitualiter perseveret. Atque hoc est quoad rem præsentem manifestum, cuiuscunque demum conditionis, & naturæ, seu reflexionis sit vtralibet intentionum. Nulla namque ratione fieri poterit, vt actiones exteriores sacramentales non procedant à sola intentione posteriùs existente, atque ab eadem specificentur moraliter.

Ad 1. Hoc est speciale in sacramento matrimonij, quod saltem vt plurimum adhesio animi ad personam præconceptam est appetitiue maior, quam ad aliam personam physicè præsentem existimatam eandem cum priore, & quam ad valorem contractus, & sacramenti hîc, & nunc. Quia plurimum interest contrahentis habere personam præconceptam, & non impediri, quoad hoc, per contractum sacramentalem cum alia. Ideoque error personæ annullat per se hoc sacramentum, cuius contrarium per se accidit, ob contrariam rationem, in reliquis sacramentis. Ceterum omnibus sacramentis, est commune, vt euadant nulla, si intentio ministri, vel vnica, vel appetitiue maior, sit deuincta determinatæ personæ, aut materiæ, aut circumstantiæ, quæ de facto non adest.

Ad 2. Etiam in corpore sequitur motus, si alter impulsus sit maior; & siquidem motus consistet in indiuisibili, vt consistit valor sacramenti, & effectus eius secundum se; tantundem moueret idem impulsus, atque si nullus impulsus contrarius ipsi coexistere.

Ad 3. Id vnusquisque dicitur simpliciter velle, aut nolle, quod vult, aut non vult affectu appetitiue maiori, atque affectus contrarius minor, perinde æstimatur comparatione eius, ac si re ipsa non adesset, vt apparet ex ratione data. Iam quod dicitur, *malum ex quocunque defectu*, accipitur de defectu, qui priuat bonitate pertinet ad substantiam rei, cui inest defectus; ita vt ratione ipsius reddatur talis res inhabilis in ordine ad suum finem. Non est autem talis defectus, respectu sacramenti, intentio ipsi contraria, per aliam efficaciorē intentionem, viribus spoliata.

QVÆSTIO XVIII.

Verum minister sacramenti, eo valide perfectto, satisfaciat toti suæ, ea in re, obligationi?

Videtur satisfacere. 1. Quia cui committitur aliud opus, eo ita peracto; vt nihil vltius perfectionis illi superaddi possit, ad nihil amplius tenetur ex vi talis commissionis. Tale autem opus est sacramentum validum. Ergo minister sacramenti, dummodo illud validè perficiat, ad nihil amplius tenetur potest præcisè vt minister.

2. Nulla est, vel auctoritas manifesta, vel ratio euident, quæ ostendat legem, qua obligetur minister, saltem sub lethali ad aliquid, sine quo valor sacramenti subsistere potest. Quoad auctoritatem, patet id ex interpretationibus probabilibus adhibitis à Vasquez disputatione 136 cap. 1. & ex superadditis à Cardinali de Lugo disp. 8. sect. 9. circa testimonia, quæ adduci solent

solent pro obligatione puritatis conscientiae, quæ non est necessaria ad valorem sacramenti, & de qua ferè sola controuertitur in præsentî. Hoc ipsum patet quoad rationem circa idem punctum. Quia tota vis rationis reducitur ad congruentias quasdam, & paritates, quibus quidam assentiuntur, & quidam alij dissentiunt, ideoque limites probabilitatis non transcendunt, neque cogunt penitus intellectum. Vbi autem desunt auctoritas manifesta, & ratio euidens de obligatione, sola superesse potest probabilitas de eadem; atque opinio solum probabilis de obligatione aliqua nunquam obligat, vt apparet ex dictis q. 23. de act. human.

Art. 1. Respondetur. Peccat quicumque aliquid agit, si operetur non secundum quod oportet; vt habetur ex 2. Ethic. cap. 3. & 6. & lib. 3. cap. 7. atque inde assumit D. Thomas quæst. 64. art. 6. iam verò operari non secundum quod oportet, est operari, non vt decet, vt apparet ex D. Thoma ibidem iuncto artic. 5. immediate præcedenti ad 3. atque expositum, & confirmatum est fufius quæst. 21. & 22. de act. human. Deficit autem tripliciter decencia in opere respiciente aliam personam, vt subiectum sui, vel sui effectus, quale opus est sacramentum. Primum ex parte operis secundum se, vt in blasphemia, idololatria, mendacio. Secundò ex parte operantis, vt si quis doceat veros articulos fidei tanquam tales, dubitans, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, an tales sint. Tertiò ex parte subiecti, vt si detur potus aquæ frigide nocens febricitanti. Ex primo capite tenetur minister sacramenti ad exhibendam qualitatem, & quantitatem, tum materiæ, tum formæ, quæ instituta sunt pro vnoquoque sacramento, iuxta dicta supra q. 4. & 5. Ex tertio capite tenetur ad obseruandam idoneitatem suscipientis, iuxta ea, quæ dicuntur infra q. 3. & 33. Ex secundo capite tenetur ad duo, quorum alterum est notitia saltem probabilis; & quidem probabilis practicè de potestate sibi competenti ad perficiendum valide sacramentum, alterum est puritas conscientiae, nempe, vt non sit sibi conscius de peccato lethali, seu actuali, seu habituali.

Art. 2. Debet quidem præberi notitia potestatis, ne minister operans absque ea notitia, temere se exponat periculo faciendi sacramentum inualidum: id est periculo exhibendi, cum falsa significatione, signum à Deo institutum ad significandum, & quod exhibetur nomine Dei, tanquam principaliter, ac primario significantis, & asstantis per illud sanctificationem hominis. Quod est grauissimum irreuerentiæ genus aduersus Deum, non abfimile illi, quod patrat in iuramento falso, seu interposito cum periculo falsitatis; nisi quod signum sacramentale simul est causa gratiæ, cuius protinus communicanda grauissima necessitas exulare potest dubitantes de potestate, quo minus peccet administrando sacramentum; quatenus eadem necessitas simul reddit conditionatam significationem sacramenti, ac per consequens interpositionem diuinæ auctoritatis, vt loquuntis per illud.

Art. 3. Debet autem non minus præhaberi puritas conscientiae. Quia minister sacramenti est socius, & cooperator Dei quoad sanctificationem hominis, & vniõnem amicabilem eiusdem cum eodem, inducens subiectum sacramenti in amicitiam Dei sua directè, ac formaliter, quoad id, libera voluntate. Quod sanè est opus ex sua natura proprium intimi amici Dei, habentis summam, ex genere suo, familiaritatem cum ipso, & consortis naturæ eius. Dedecet autem quam maximè hominem impurum, & inimicum Dei, atque naturæ eius aduersum, arrogare sibi personam, & exercere ministerium vsque adeò dissonantia reali suæ præsentî conditioni; nec Deum reueretur,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I I.

vt decet, cui cum sit filius iræ, & Diaboli, ingerit se nihilominus, tanquam socium, & cooperatorem ipsius Dei in opere adoptandi filios eius, & faciendi, atque acceptandi amicos eiusdem.

Artic. 4. Quapropter, qui perficit sacramentum in statu peccati lethalis, peccat proculdubio grauiter ex natura rei; saltem si sit minister consecratus, & non per accidens ob defectum alterius ministri idonei, sed per se tale ministerium exercet; nec excusetur, aut iure, & officio naturæ simul concurrente, vt concurret in matrimonio; quatenus actiue administrato, aut necessitate valde graui, nec permittente moram iustificationi ipsius ministri, moraliter sufficientem, vt in articulo mortis. Videri nempe potest non irreuerenter, aut non admodum irreuerenter agere; neque qui ius suum naturale, vtcumque circumstantionatum, vtcumque dispositus prosequitur; neque qui per accidens subintrat in locum ministri per se idonei, ob defectum eius hic, & nunc, ea ipsa agendi ratione sufficienter significans suam absolute indignitatem, nec adeò obligatus ad cognitionem, & considerationem altitudinis ministerij extra ordinem & per accidens exerciti; multò verò minus videri potest irreuerenter agere, qui parer necessitati in negotio æternæ salutis respectu personæ vltimò periclitantis, & quoad opus institutum in remedium, ac subsidium talis periculi. His porro seclusis exceptionibus, circa quas variant Theologi, præter quam circa illam de necessitate grauissima, quam omnes meritò admittunt, vnanimi consensu; de reliquo conclusio posita est concors eorundem sententia, licet non concorditer probata.

Art. 5. Eidem suffragatur Dionysius Epist. 8. ad Demophilum circa medium dicens: *Nefas est ea quæ infra sunt; non secundum dignitatem, meritaque exequi.* Et paulò post subiungit, *vt mihi quidem videtur audax nimium est, qui non veretur ea, quæ sunt diuina, præter meritum exequi.* Similiter Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. post medium: *Omnia sacramenta, ait, cum obsint indignè tractantibus, proficiunt tamen per eos dignè summentibus.* Cuiusmodi quam plura Pontificum, & Patrum testimonia habentur in decreto 1. quæst. 1. cap. *Omnia christiana c. Prophetant;* nec non apud Suarez, & Valquez in præsentî. Origo eiusmodi auctoritatum est auctoritas scripturæ dicentis Leuit. 19. 2. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,* & Ecclesiastici 10. 2. *Secundum iudicem populi sic & ministri eius.* Quæ à D. Thoma, & ab aliis communiter accipiuntur de obligatione puritatis conscientiae imposita ministris Dei in proprio ministerio. Igitur minister sacramenti non satisfacit toti suæ obligationi sacramento valide perfecto, sed insuper tenetur, inter alia, vt illud non perficiat in statu peccati grauis.

Ad 1. Licet sacramentum validum sit opus in se perfectum, nec ipsi secundum se possit, aut debeat aliqua vltèrius perfectio superaddi; potest nihilominus, ac debet alia vltèrius perfectio superaddi congruens operanti comparato cum eodem opere. Aliud nempe est adesse operanti voluntatem congruentem potestati eius; aliud verò adesse voluntatem congruentem subiectioni eiusdem ad primam regulam morum, atque ordinationi ad vltimum finem relatiue ad idem opus. Vnde prouenit, vt opus in se bonum, & perfecte inductiuum sui effectus ex opere operato; possit nihilominus esse malum relatiue ad operantem, nec inductiuum sui effectus ex opere operantis.

Ad 2. Data est ratio satis clara, ac euidens, atque auctoritates insinuatæ sunt omninò manifestæ. Neque

D d 3 quid

quidquam facit ad probabilitatem partis contrariæ, quod nonnulli circa utraque nihilominus tergiversentur. Sunt enim, qui dubitent etiam de existentia Dei, de immortalitate animæ, & de utriusque legitimis demonstrationibus, de quæ aliis similibus, & fuere, qui negarent, quodlibet esse, vel non esse, ut liquet ex 2. Metaphys. in re præsentī peccatur à nonnullis. Circa rationem quidem, quia quod re ipsa est primum principium indemonstrabile, aut non possunt, aut nolunt agnoscere, ut tale; quod sæpè contingit, præsertim in doctrina morali; utpote pendentī à maturitate arbitrij, eaque nihil sensibus adiuta directè. Circa auctoritates verò, quia dicta antiquorum non accipiunt cum proportionē accommoda ministrorum, & ministeriorum pro leuitate, & grauitate culpæ; & insuper volunt ea reducere, sicut dicta modernorum scholasticorum, ad præcios quosdam, & formales ubique terminos; cum illi non ita loquantur ut plurimum, & ex toto contextu, iuxta principalem eorum scopum, sint interpretandi.

QVÆSTIO XIX.

Virum sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato?

Videtur non conferre. 1. Quia gratia sacramentalis confertur ex meritis Christi, ut patet ex 3. ad Titum 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Quod autem confertur ex meritis, non confertur ex opere operato, sed ex opere operantis. Nempe opus operatum vsurpatur communiter, ut oppositum operi meritorio.

2. Pro recipienda gratia sacramentali est omninò necessarium opus laudabile, ac meritorium, tanquam dispositio requisita ex parte suscipientis, ut apparebit infra quæst. 33. Ergo ea gratia habetur ex opere operantis, & non tantum ex vi operis operati secundum se.

3. Non inest sacramentis vlla virtus physice causatiua gratiæ; quandoquidem nulla est eorum cum hoc effectu proportio physica. Ergo sola potest illis conuenire causalitas moralis, quæ à causalitate meritoria operis seiungi non potest, adeoque nec ab opere operantis.

4. Si gratia sacramentalis conferretur independentè à laudabilitate, & merito operationum ministrantis, & suscipientis; sacramenta non iuuarent pietatem, & bonos mores, sed magis inducerent eorum contemptum; utpote conferentia vitam æternam independentè ab omni bona, & laudabili operatione. Quod tamen est contra finem supra explicatum institutionis sacramentorum, & contra rationem rectæ prouidentiae.

Art. 1. Respondetur. Collationi gratiæ ex opere operato vnum quoddam est commune cum collatione gratiæ ex opere operantis; nempe gratiam dari dependentè ab opere tanquam à causa existentiae eius, & non solum tanquam à puta conditione sine qua non. Differunt verò quatenus conferri gratiam ex opere operato est, existentiam gratiæ, vel simpliciter, vel quoad augmentum sub determinata quadam mensura, seu gradu induci ex vi talis operis secundum se; siue meritorium, & laudabiliter per actum sit, siue neutrum, aut etiam oppositum utriusque illi conueniant. Conferri verò gratiam ex opere operantis est, illam, aut eius augmentum induci ex vi talis operis, præcisè quatenus meritorium, & laudabiliter per-

actum est, & præcisè iuxta mensuram, seu gradum correspondentem virtuti meritoriae. Hic est sensus istarum vocum apud omnes Catholicos, defensus acriter inter alios, à Vasquez aduersus Lutherum, & alios ei similes perperam oblatrantes loquutioni simul cum re significata.

Art. 2. Conclusio igitur immediatè responsua ad quæstionem propositam est, quæ habetur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit per ipsa noua legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Itaque sacramenta nouæ legis sunt veræ causæ conferentes gratiam ex vi actionis exterioris qua perficiuntur, & rerum quibus constant; & non tantum ex merito, precibus, vel fide, siue ministri, siue suscipiētis; nec iuxta mensuram meritorum, vel utriusque, vel alterutrius ex ipsis. Quæ veritas pluribus præterea sacra pagina, aliorum Conciliorum, & PP. testimoniis illustratur aduersus contrarias hæreses à Bellarmino tom. 3. lib. 2. de Sacramentis cap. 2. Suarez disp. 7. sect. 2. Vasquez disput. 13. cap. 3. & 4. Eandem satis apertè præferet significatio sacramentorum expensa supra quæst. 13. art. 2. Ratio verò congruentiæ, & conuenientiæ maximæ, ut talis virtutis sacramenta instituerentur apparet satis ex q. 11.

Ad 1. Collatio gratiæ non dicitur ex opere operato per exclusionem cuiusvis meriti vniuersaliter, & indiscriminatim respectu gratiæ, quæ sic confertur, sed per exclusionem meriti ex parte ministri exequentis immediatè tale opus, & ex parte eius, circa quem exercetur idem opus, quique suscipit gratiam correspondentem eidem operi. Quare gratia sacramentalis relatiuè ad Christum, & eius opera est ex opere operantis, sed relatiuè ad ministrum, & suscipientem, & ad opus, seu opera utriusque, est simul ex opere operato.

Ad 2. Paruulis inprimis, ineptis ad merendum, datur nihilominus gratia per sacramentum. Deinde adultis etiam bene dispositis datur gratia, per sacramenta, vltra mensuram correspondentem eorum merito, seu plusquam daretur existente solo eo merito. Demum dispositio adulti sæpè est talis, quæ non superueniente sacramento nullam gratiam inducenda foret, ut dicitur in eadem illa q. 33.

Ad 3. Circa illud antecedens, & consequens dicitur ex professio quæst. 24. & 25. & ibidem apparebit utrumque esse defectuosum, & laborare falsa suppositione.

Ad 4. Ad hoc datur gratia per sacramenta etiam non merenti, & à non merente; & cum merentur, vltra quam mereantur; ut habeatur vnde merita, aut maiora merita proueniant. Præterea adulti, pro quibus solis tale inconueniens proponi potest, non obstante collatione gratiæ sacramentalis ex opere operato, indigent bonis operibus, ut peruenire possint ad regnum cælorum, nec fieri potest, ut illud absque illis consequantur, si diutius vivant, & exponantur opportunitatibus bene, ac male operandi. Rursus actiones exteriores sacramentales postulant ex sua natura bonorum operum comitatum, tum ex parte ministri, ut liquet ex quæstione præcedenti, tum ex parte suscipientis adulti, ut dicitur quæst. illa 33. Demum, quod gratia detur per sacramenta absque meritis, aut vltra mensuram meritorum, præterquam Christi Domini, non solum paruulis, sed etiam adultis, est valde conueniens pro statu præsentī, ut liquet ex dictis supra q. 11.